



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VELITERNA - SIGNINA***DIOECESSES
SUBURBICARIA VELITERNA ATQUE SIGNINA
IN PERPETUUM AEQUE PRINCIPALITER CONIUNGUNTUR ET UNIUNTUR

In illius patris familias similitudinem, « qui profert de thesauro suo nova et vetera » (*Matth.* 13, 52), et Nos profecto, qui universae christianorum familiae arcano Dei consilio praepositi sumus, fines, personas, res Ecclesiarum ita disponimus ac temperamus, ut inde, quam maxime potest, tum maior Dei gloria manet, tum etiam christianorum commoda enascantur et aptior ac facilius rerum gerendarum facultas. Qua re, cum Venerabili Fratri Nostro S. R. E. Cardinali Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecto visum esset dioeceses suburbicariam Veliternam et Signinam in perpetuum aequae principaliter uniri posse, Nos, re bene reputata eorumque consensu suppleto quorum interesset, Ecclesias quas diximus per has Litteras aequae principaliter coniungi et uniri censemus, ita quidem ut unus idemque Antistes utrique Ecclesiae praesit, atque Episcopus Veliternus simul etiam Signinus sit et habeatur. Primum autem in serie Episcoporum utriusque dioecesis Venerabilem Fratrem Dantem Bernini esse his Litteris decernimus cum iustis iuribus, facto praeterea iure conferendi beneficia unius dioecesis etiam presbyteris alterius dioecesis. Has vero Litteras idem Venerabilis Frater Dantes Bernini ad exitum deducet, sive per se ipse, sive per alium, modo virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re autem acta, sincera documenta negotii ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittat, rite subscripta atque sigillo impressa. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo primo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

SEBASTIANUS Card. BAGGIO

Congr. pro Episcopis Praef.

*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 1, p. 8

© Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana